

227

FLOREM JUVENIS SUBITO MARCESCENTEM,  
In Exemplo  
*JUVENIS EGREGII,*  
**CHRISTIANI VOGTII,**  
MEMELENSIS,  
LIBERALIUM ARTIUM ALUMNI,  
*ipsâ die funebri,*  
Die 14. Augusti A.O.R. M. DCCIII.  
qua exuviae Ejusdem tumulo Mariano mandabantur,  
pro virili delineare voluerunt  
*GYMNASII THORUNENSIS*  
**AUDITORES**  
SUPREMÆ & PRIMÆ CLASSIUM.

---

**THORUNII,**  
EX OFFICINA NOBILISS. SENATUS ET GYMNASI

deria, f.  
REZIK,  
ator.

LEFFIUS,



METACRESCENTIA  
FLORIS & HOMINIS

A Dsta, Viator,  
&, si forsan summum studium Tibi est,

Fragilitatem Humanæ Vitæ æstimare,

tecum reputa,

num invicem discreper

FLORIS & HOMINIS

Conditio.

Dixerim sane,

similia in his inveniri fata.

FLOS,

undenam primordia & ortum suum trahat,

ipsemet nosti.

Terra est,

qvæ ipsum gignit, fovet, auget, absunit:

Hæc ipsius Procreatrix, Altrix, Devoratrix.

HOMO,

ipse pulvis & umbra,

veram & genuinam lustrando Genealogiam,

nullum alium PATERM,

nullam aliam MATERM

agnoscit,

præter Terram:

Ex hujus sinu producitur,

In hujus sinum rursum projicitur.

FLOS,

dum in pratis, campis & hortis virescit,

subito qvoqve vilescit;

dum pulchritudinem coloris & svavitatem odoris

ostentat,

curiosas Viatoris manus ad rapiendum se invitat,

ac sæpius,

Qvem dies veniens vidit superbum,

Hunc dies fugiens jacentem vidit.

HOMO ehœ!

qvi

qui ipsa fragilitate fragilior,  
Vas itidem quassum est, & corpus fragile, in omnem fortunæ  
contumeliam conjectum.

Oritur,

ut moriatur.

Oritur,

ut tandem miseria & sollicitationibus fatigatus, occidat,  
ac, qvò amoeniore & hilariore vultu natus, salutatur,  
eò tristiore animo mortuus Terræ restituatur.

Vitam ipsius perpendis?

Tragœdiam perpendis,

multis & variis ærumnis refertam,

cujus tandem ultima Scena & Epilogus

Mors est.

FLOS,

qui semel interiit,

sedulâ & artificiose Chymicorum manu

ex suis revocari potest salibus:

qvem furni flamma in cineres redigit,

Ipsum artis ingenuæ vis per ~~magisteria~~ resuscitare  
valet.

HOMO,

licet in minutissimos redactus cineres,  
Omnipotenti tamen Divini Numinis jussu e pulvere  
tandem suo regenerabitur:

In qvo

dira Mortis falx

suas tentare vires non erubuerat,

Eum benigna Numinis dextera resuscitare non dubitabit.

Atque ita

FLORI similem fuisse,

SVAVISSIMUM NOSTRUM COMMILITONEM,

CHRISTIANUM VOGT, MEMELENSEM,

Gymnasi Nostri Alumnum ornatissimum,

Mi Viator,

ne dubites!

Cum enim ipse flos fuerit,

floris etiam fata experiri debuit.

Ortus est sicuti flos; mortuus est, sicuti flos;

cum svavissimos de se spargere jam vellet odores,

evanuit;

cum jam probatoris Vitæ documenta pararet,

viverè desiit.

Nascentem, A. D. M. DCXXCV. Civitas Memelensis vidit;

Flo-

Florescentem Patria Schola blandis amplexa est ulnis;  
Marcescentem A. D. M. DCCIII. d. 10. Aug. Gymnasium Thorunense

luget;

olim

Patris gaudium,

Mattis solatum,

Patriæ delicium;

nunc

Cadaver mortuum,

Epulum verium.

P U E R U M

Domestica Musa in suo Viridario fovit:

A D O L E S C E N T E M

Biennio abhinc elapso, Lyceum nostrum in numerum suorum  
recepit:

J U V E N E M

Athenæum Regiomontanum perpolire desideravit:

V I R U M

Patria aliquando audire voluit:

ast voluit! non valuit!

In Flore nempe Flos defloruit!

Neque tamen totus periit!

Caducam structuram,

Exuvias mortales,

Terra reddit;

Spiritus,

Universalis ~~παλιγγενετος~~ die cum corpore reduniendum

Salvatori suo dicitur,

commendavit:

Vitam scilicet spernere didicerat,

ut Vitam lucraretur.

Tu, Viator,

antequam hinc discedas,

recordare,

Non domum esse tuum corpus, sed hospitium, & quidem breve hospitium,

quod relinquentum est,

ubi Te gravem hospiti esse videris.

V A L E !

